

pro historico habendus; nec pro diuino scriptore. Veritas enim veritati non contradicit. Nos enim Christiani, vt dicunt quidam Mahometi sequaces non corrupimus postea scripturas. Nam nos ac Iudæi hostes nostri eandem scripturam veterem historialiter, & cum hæreticis hostibus eandem noui testamenti, habemus. Quomodo autem conuenire possunt hostes ad tantum negotium demoliendum?

In 2. conditione admonetur, ne patris, & amicorum amore, vel pecunia corruptus, aut blanditijs, mentiat. parum enim sufficit scire, nisi prout se habent seita, narres. Quare Poggius apud Sannazarum fugillatur, dum suos Florentinos laudat. *Nec malus es ciuis, nec bonus historicus.* At Costus contra me, *Nec bonus est ciuis, nec bonus historicus.* Scelestè Iouius sepe adulator, nil verendum historico mentiri, ausus est scribere: quoniam hinc ad centum annos mendacia non agnoscentur Nunquid ad decipiendum scribimus? Hoc etiam in historia naturali falsum. Natura enim sibi concors in futuro redarguet præterita mendacia Aristotelis, & aliorum: in Ciuili vide quanta mentiuntur centuriatores, & Lutherus, præcipue dum Petrum Romæ nunquam fuisse contendit, contra historias patrum; & traditiones omnium ecclesiarum: & quàm bellè ad Baronio redarguitur.

Si potest Iouius mentiri de his, quæ suo in tempore acciderunt, ab alijs contemporaneis historicis accusatur, & in fine sæculi ab Enoch & Ælia, si prouidentia Dei, non deficiet. O miseri mendaces conuertimini ad cor.

Qui autem in historijs etiam Deo adulari audent, mendacia miracula confingentes, ab ecclesia merito damnantur. Nunquid parum vobis videtur derisores esse hominum quia & Deo derisorie audetis adulari tanquam nebuloni vestrique simili? Quam impudenter Cid fictitius celebretur ab Aragonensi, qui historias antiquas contestantes legerit, agnoscet. Nec Plato expers timoris est vilis, cum Deorum gesta & fabulas approbat, ne Græcis odiosus fiat: multoque magis Arist. qui etiam picturas adulteriorum